

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Icones sive imagines virorum literis illustrium**

**Reusner, Nikolaus**

**Argentorati, 1587**

Ioannes Sleidanvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](#)

IOANNES SLEIDANVS  
Historicus.



Sleida dedit vitam: tumulum Argentina domumq;  
Relligio per me Teutona nota viget.

M. D. LVI.

IOANNES SLEIDANVS BELGA

Sleidæ natus anno M. D. VI.

Quem Lutetiaæ Paris, bonis excultum discipli-

nis Argentina exceptit:

In quâ multiplice & eruditionis, & prudentiæ

atque pietatis edito specimine, summo  
semper loco habitus:

Legatus deinde non modò in Anglia, commu-  
ni Protestantium, quos vocant, nomine: sed &  
vrbis ipsius in Tridentino Concilio; magnam

sibi apud omnes passim comparauit

gloriam, atque existima-  
tionem!

Multò etiam maius adeptus immortalis famæ  
decus, ex egregio illo opere suo de Reipub. &

religionis in Germania statu à se veris-

simè simul & elegantissime

perscripto:

Iacobo Sturmio Prætore nobiliss. & ampliss.

non modò hortante, verùm etiam ma-

teriam suppeditante:

Addito etiam de summis imperijs eruditissi-

mo commentario;

Sui seculi Historicus facilè princeps:

Obiit Argentinæ ex Epidemico morbo, anno

Salutis M. D. LVI, Aet. L.

Iosephi à Pinu Eteostichon.

Vndenaſ luſtriſ trieteridas adde trecentis

Oc̄toq̄: Sleidani tempora mortis habes.

N iii

IN IOANNEM SLEIDANVM  
Historicum.

EPIGRAMMATA.

IOAN. LAVTERBACHII.

Est laude dignus, erudit qui posteros.

Quis status in terrā fuerit, rerumq; per orbem,  
Imperio Cesar Carole Quinte tuo:

Quām rigidos verax Ecclesia senserit hostes:

In Christo sperans regna beat a fide:

Quos sit in aduersis pugnans experta patronos,

Qui veram sacris asseruere fidem:

Vox Euangeli superatis sana tenebris,

Purpureum postquām cōpit habere diem:

Sex & viginti Sleidanus tradidit auctor

Historia, facili dexteritate, libris.

Dum seris studuit prodeſſe nepotibus, ut res

Congressu possent commemorare bonas.

Est iustum merit as auctori dicere laudes:

Recta quod historijs secla futura docet.

Erudit historijs seros quicunque nepotes,

Dignus, ut eternā laude colatur homo.

IOAN. STVRMII.

Sleida mihi patria est prima: Argentina secunda:  
Mortuus ut viuam, consequor historiam.

GEORGII FABRICII.

Quos tulerint nostri pro religione tumultus  
Orsus es æternae posteritatis opus.

MARTINI CRVSI.

Lugeo Sleidanum, quum cogito, qualis in illo  
Dulcedo morum vixit, & oris honos.  
Sed multò magis historiā quām versor in ipsā:  
Hunc Deus expressit, mox scidit inde typum.

IACOBI FABRICII.

Ingenio magnus, pietate insignior, arte  
Sleidanus facilis, dulcior eloquio.  
Vera sciens, nec vera tacens, & vana perosus,  
Germana sapiens conditor historicæ.  
Per patriæ, & caræ per posteritatis amorem  
Temporis acta sui scripsit, & occubuit.  
Ore Deū, ut calamo, placidâ est in morte professus:  
Improbè nequicquam rumperis inuidiā.

N iiiij